

HISTORIA DIPLOMATICA  
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT  
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPANUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT  
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNUS EX ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS II.

PARS I.

---

---

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

aliorum quamplurimum tam imperii quam regni magnatum, excellentie nostre humiliter supplicavit ut quoad imperiale spectat officium exinde prosequi dignaremur. Nos igitur protervam predictorum comitum contumaciam attendentes, ad petitionem quoque predicti Constantiensis diocesani episcopi cujus censuram ecclesiasticam Dei timore postposito dicti comites per triennium, sicut asseritur, contemnentes ab infestatione ipsius ecclesie non desistunt, cum absonum sit imperio nostro tam enormes ecclesiis Dei violentias irrogari quas ex collata nobis plenitudine potestatis defensare modis omnibus et fovere tenemur, presentibus predictis principibus et ceteris tam imperii quam regni magnatibus, predictos comites excommunicationis sententiam contemnentes sententialiter proscriptos denunciavimus, mandantes ipsos de cetero velut proscriptos ab omnibus evitari. Preterea Heinrico Romanorum regi filio nostro per litteras nostras dedimus in mandatis ut eosdem comites pro predictis memoratis excessibus proscriptos denuntiet, et ab ipsa proscriptione ipsos decernimus non solvendo, nisi predicto preposito condigne satisfaciant et ecclesie sue sicut debent.

Datum in Campania apud Montem Sancti Johannis (1), die XXIII (a) februarii, XI indictione.

---

Apud  
Montem Sancti  
Johannis,  
28 februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, comitibus, baronibus, iusticiariis, camerariis caeterisque officialibus per regnum Siciliae constitutis mandat ne monasterium Cassinense, obedientias et homines ipsius qualibet exactione gravare praesumant, sed eis con-

(a) Ap. Gullmann *XXIV*.—Ap. Lünig vero *XIII*.—Ap. Goldast. et Herrgott *XXIII*, *rectius*.

---

(1) Scilicet Monte San Giovanni, media via Cepranum inter et Verulas.

servent omnes libertates et immunitates quas tempore regis Guillelmi habere consueverunt.

(Inedit. ex pergamena ut videtur originali, quae extat in archiv. monast. S. Trin. Cavensis et in codice Mss. *ibid.*, n° 968, ubi plura sunt de rebus monasteriorum Cassinensis et Cavensis.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, comitibus, baronibus, magistris justitiariis, magistris camerariis, camerariis, bajulis, comestabulis, iudicibus et universis fidelibus suis per regnum Sicilie constitutis gratiam suam et bonam voluntatem. Ex querela venerabilis abbatis et conventus monasterii Casinensis fidelium nostrorum nuper serenitas nostra intellexit quod vos monasterium ipsum, obedientias et homines ipsius collectis et exactionibus, angariis et perangariis, exercitiis et procurationibus, trahendo in civilibus et secularibus ad iudicium seculare, nec non et aliis multipliciter offenditis et gravatis; quod tanto nostre displicet pietati quanto monasterium ipsum, obedientias et homines ipsius in libertatibus et rationibus suis volumus conservari. Verum quia ejus intuitu per quem vivimus et regnamus, tam monasterium ipsum quam obedientias et homines suos cum justis possessionibus et bonis suis manutenere volumus et fovere, nec pati possumus vel debemus quod a nobis vel officialibus aut aliis fidelibus nostris debeant molestari quos tenemur in propriis libertatibus et honoribus ex commisso nobis regimine confovere, fidelitati vestre sub pena gratie nostre districte precipiendo mandamus quatenus abbatem et conventum predictos, nominatum etiam monasterium, obedientias, homines et res ipsorum in nullo indebite aggravantes, omnes libertates et immunitates quas tempore regis Guillelmi secundi recolende memorie consobrini nostri habere consueverunt, eis integre conservetis, et in omnibus justitiis et rationibus suis sic manuteneatis eosdem quod in nullo de cetero se sentiant aggravatos et nos devotionem vestram exinde commendemus. Nos enim tanto eos protegere volumus et in suis rationibus specialiter confovere quanto nos divina clementia pre aliis orbis principibus exaltavit.

Datum apud Montem Sancti Johannis, ultima februarii, XI<sup>a</sup> indictione.